



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**ITINERARI[I] || ITALIAE || RERVMQ. ROMANARVM || LIBRI
TRES ||**

Schottus, Franciscus

Antverpiae, 1600

Spoletivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70633)

non videatur miraculis carere. Obseruarunt enim veteres, eundem vicinos campos lætitia pabuli vsqueadeo fecundare, vti bouum prægrandium armenta proferant, & pascant; & aqua Clitumni pota boues candidos reddit, Plinio, Lucano, Seruio Maronis commentatore, & aliis multis idipsum testantibus. Ex his quidem armentis postea Romanus Umbriæ victor eximios quosque tauros, candidos reseruare, & ad triumphalia sacrificia saginare solet, velut victimas opimas, & ob faustum candoris omen in victoria lætissimas. Hos inauratis cornibus diademate & vittis redimitos ducebant in Capitolium triumphantes imperatores, & vndis ex eodem amne sumptis perfusos, Ioui & diis immolabant. Has igitur ob causas Clitumnus pro deo cultus ab Umbris fuit, cui non solum ædes, sed & lucos sacrasse vetustatem, ipse Propertius indicat, dum ita canit:

Qua formosa suo Clitumnus flumina luco

Integit; & nivos abluit vnda boues.

Sed quam pulchrè poëtarum princeps Virgilius, Georgicorum libro secundo in Italiæ laudes effusus, hos ritus attingat, ne pigeat intelligere:

Hinc albi Clitumne greges, & maxima taurus

Victima, sæpè tuo perfusi flumine sacro,

Romanos ad templa deùm duxere triumphos.

Rursù vt Silius Italicus in Punicis vnico versus:

Et lauit ingentem perfusum flumine sacro

Clitumnus taurum.

S P O L E T I V M

Eodem die ante noctem, si voles, Spoletinum peruenies, urbem splendidam, & copia rerum inprimis abundantem; quæ Langebardonum

rum principum sedes diu fuit, *Ducatus Umbria* titulo insignis. Atqui multis antè ætatibus fuerat illustris, & firma *colonia Latina* velut Cicero in *Balbiana* testatur: quam *Umbris* deuictis populus Rom. deduxit triennio post *Brundisium*, sicut ex *Paterculo* & *Liuiio* colligimus, *C. Claudio Centhone*, *Marco Sempronio Tuditano* *coff.* Quæ post *cladem ad Trasimenum* acceptam, *Annibalem* victorem, vt *Liuius* memorat, ausa repellere, eundem docuit ex vnius *coloniæ* viribus conuicere, quanta moles *Romanæ* urbis esset: quum plurimis suorum amisissis, inde signa vertere, moxque in *Picentinarum* fines traducere exercitum cogeretur. Floruisse admodum stante *Romano* imperio, vetera ædificia, & antiquitates adhuc residuæ demonstrant, quas diligenter perlustra. Amplissimum *Theoderici Gothorum* regis prætorium, ab ipsis tamen *Gothis* post cum regia destructum; sed à *Narsete Iustiniani Imp.* legato restauratum. Item theatri fundamenta, *Concordia* fanum, formas extra urbem sublimes ac solidas aquæductuum, ex *Apennini* costis partim excisas, partim opere lateritio ex ima valle fornicibus in altum subductas. Atque in primis suspicias licet maioris basilicæ pontificalis ardua tecta, marmoreosque parietes, arcem in amphitheatro constructam, pontemque lapideum, qui magno ingenio factus, pilis grandibus *XXIII.* sustinetur, & urbis editiorem partem arci, vel amphitheatro in alio colle posito coniungit.

INTERAMNA

Sequenti die per vallem angustiarum altissimis clausam montibus per saxa & rupes *Apennini* proficiscere *Interamnæ*, sic appellatam